



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis**

**Lambert, François**

**Argentorati, 1525**

**VD16 B 3868**

De eo quod Ionas fuit mißus in mare, & glutitus à Ceto. Capvt VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**

stum etiam orta fuerit in mūdo tempestas, eo quod homo per id ceciderit, quod Dei sapientiam, quæ ipsi Christo attribuitur, concupiuit. Sed nō ita est, nisi per occasionē, & improprie dicitur, propter eum exorta fuisse tempestas. Caro namq; in causa fuit huius tempestatis, quod Domino minime adqueuerit, sed magis serpenti cōsenserit. Tempestatem intellige, quod omnes eramus natura filij iræ. Quæ tum quieuit & tranquillitas redijt, dum pro nobis carnem adsumpsit unigenitus Dei. Redit autem cui libet fidei ex fide, & omnibus redijt à principio, mox ut in eum crediderunt, etiam antequam ueniret in carnem. Ergo uniuersis quibus non adest ex fide Christus, non nisi intranquillitas, & Dei ira esse potest. His autem, quibus adest, etiam inter gladios, ignes, & quæcumq; mala, pax est, omnem sensum exuperans. Quæ idcirco omnem sensum exuperare dicitur, quod inter grauiora mala, pacem esse, homo capere non possit.

De eo quod Ionas fuit missus in mare,  
& glutitus à Ceto.

C A P V T VII.

Testimonio ipsiusmet Domini Seruatoris I E S V Christi, Matth. 12. & Lu. 11. sue mortis, sepulture, & resurrectionis figura, præcessit in Iona. Sicut ait, fuit Ionas in uentre

FRANC. LAMB. IN IONAM

in uentre ceti, tribus diebus & tribus noctibus, ita erit  
filius hominis in corde terræ. Et quemadmodum, non fuit  
in mari, neque in naui tranquillitas, nisi prius Iona, in  
mare proiecto, & glutito à pisce, ita quæ in celo & quæ  
in terra sunt, minime pacata fuerunt, donec filius Dei car-  
nem adsumpsit, & mortuus fuit. In celo enim, quasi erat  
intranquillitas, dum nemo in Dei gloriã intrare ualebat,  
& Deus homini iratus erat. Cælum autem naui figura-  
tur, nõ quo ad oia, sed tantũ quo ad id, quòd sicut in ea Iona  
uidebatur, ita & in coelis filius Dei. Oportuit autem,  
ut ipse Dei filius de celo, sicut Iona de naui in mare, hoc  
est, in carnis amaritudines, famem, sitim, labores, sudo-  
res, obprobria, flagella, mortemque descenderet, ac uora-  
retur à Ceto, hoc est, sepeliretur, maneretque in sepulchro  
tribus diebus ac noctibus, sicut Iona in uentre Ceti piscis  
maximi, alioqui semper fuisset intranquillitas.

Et nemo in hunc usque diem pacem ueram habet, præ-  
ter eum, cui Dominus IESVS CHRISTVS, homo factus,  
mortuus, & sepultus est, hoc est, qui ex fide omnium  
Christi mysteriorum ac sanguinis eius particeps factus  
est. Viderit ergo quisquis animo uiuit intranquillo, &  
nulla arte, nulloue remedio sit pacem adepturus, quam ex  
fide sincera in ipsum Dominum IESVM Christum.

Quòd nedum cælum, sed & Iudeorum synagoga  
naui figuretur, & de his, qui Ionam in ma-  
re proiecerunt.

Caput